10.10. 26

VETVSTISSIMA INSCRIPTIO QVA L. CORNELII SCIPIONIS ELOGIVM CONTINETVR

Romæ nuper reperta, & doctis explicationibus illuſtrata.



ROMÆ, Ex Typographia Bartholomæi Zannetti. MDCXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. M. Sac. Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesgerens.

Imprimatur. Fr. Gregorius Donatus Rom. Magister, & Reuerendiss. P. Fr. Hiacynthi Petronij Sac. Palatij Apost. Magistri Socius, Ord. Prædicatorum.

Epigramma.

FLoruit hoc olim virtus tua viuida saxo
Scipio, sed longa nocte sepulta fuit.
Nobilis Interpres Mundo tua facta renarrat,
Et iubet ex atra surgere morte decus.
Hoc duce nunc iterum post inuida fata resurgis.
Quod tibi tempus edax abstulit, ille dedit.

Epigramma.

CRedidit inscripto producere marmore vitam
Scipio: sed vitam mortua saxa negant.
Rursus ab ingenio longos sibi destinat annos;
Hanc Romana tibi dant monumenta fidem.
Componas antiqua nouis si marmora chartis;
Has nasci, dices, illa docere mari.

Epigramma.

NVlla fides oculis, semeso in marmore cerne
Qualia, si nescis secula nulla dabunt.
Pars quota Scipiadum hic? Primæ incunabula linguæ
Admirare, nouos dat sibi Roma modos.
Ne contemne. rudi taceat, vel marmore, quanta
Fatur in eximio, quem tibi rara Duce.

Disthicon.

DEbile principium Romanæ respice linguæ.
Hic se miratur Roma diserta rudem.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO ANTONIO MARIAE MARCHIONI SALVIATO.

FRANCISCVS AVGVSTINVS.

Felicitatem.

SI Dominis offerre munus aliquod licet, hanc ego nascentis latinitatis inscriptionem, cum explanatione viri Doctissimi, dignam puto, quæ tibi deferatur à me: qui, & iam diù in eo sum dies, noctesque totus, vt nomini seruiam tuo, & antiquorum hæc

vestigia relego tàm obseruate, vt quasi gemmas vnionesque consector. Mihi ergo diligenter omnia scrutanti, & perquirenti venit aliquando tandem in manus è visceribus antiquitatis effossus lapis ne dicam, an lapillus, & gemma thesauris Arabum anteferenda? quæ cum diù multumque inter rudera, vrbisque parietinas latuisset, ad extremum eruta ne agnoscebatur quidem pro gemma priusquam Iacobum Sirmondum è sodalitate Iesu virum insignitè doctum, & litteraturæ cuiusdam remotioris apprimè gnarum nancisceremur, qui ductus in rem præsentem de lapidis pretio iudicauit. Censuit hæc esse incunabula quædam Romanæ linguæ; quæ sic habuit suas ætates, ac progresiones quemadmodũ habuit imperium. Intuere igitur etiã

tu Princeps Excellentiſsime gemmam hanc, & linguam illam omnium Reginam gentium, audi balbutientem in Cunis, & vagientem. Id ſi tibi gratum fuiſſe intellexero, næ ego conijciam, hoc munuſculo tibi etiam in poſterum oppigneratam eſſe induſtriam meam, quæ qualiſcumque tandem illa ſit, aliquot iam annos fidelem inſtitutioni tuæ operam nauat. Vale.

EXEMPLVM INSCRIPTIONIS

HONC·OINO·PLOIRVME·COSENTIONT·R
DVONORO·OPTVMO·FVISE·VIRO·
LVCIOM·SCIPIONE·FILIOS·BARBATI
CONSOL·CENSOR·AIDILIS·HIC·FVET·A
HEC·CEPIT·CORSICA·ALERIAQVE·VRBE
DEDET·TEMPESTATEBVS·AIDE·MERETO

Lapis eſt Priuernati ſimilis, ſed durior multò, ea forma, qua heic expreſſum damus, longitudine palmorum V. vnciarum IV. latitudine palmor. II. vnciar. X. Inciſi characteres rudes ſunt, atque inæquales, quemadmodum delineandos ad amuſſim curauimus.

ANTIQVAE INSCRIPTIONIS QVA L. SCIPIONIS BARBATI F. EXPRESSVM EST ELOGIVM,

Explanatio.

EFFOSSA eſt altero ab hinc anno Romæ ad portam Capenam hæc inſcriptio: quæ quòd interpretem fortaſſe nacta non ſit, hactenus neglecta, & ſine honore iacuit: à nonnullis etiam, quos merito rideas, barbari ſequioriſq. ſæculi ſuſpicione damnata eſt. Mihi verò, niſi mea me fallit coniectura, egregium hoc monimentum, nulli omnium quæ Romæ ſunt vetuſtate concedere, atque inter præcipua memorabile videtur. Quod vt tute, lector, mecum ſentias, vbi ſinceram eius ſententiam expreſſero, res ipſa vt ſpero perſuadedit. Sic enim legendam cenſeo.

Hunc vnum plurimi consentiunt Romæ
Bonorum optimum fuisse virum
Lucium Scipionem. filius Barbati
Consul, Censor, Aedilis hic fuit.
Hic cepit Corsicam Aleriamq; vrbem,
Dedit Tempestatibus ædem merito.

Nunc ergo suam ipsa, vt vides, prodit ætatem: Nam cum L. Scipionem, cuius elogium continet, Barbati filium vocet; Barbatum autem in Scipionum familia vnicum sciamus fuisse Cornelium Scipionem Barbatum, qui anno V. C. CDLVII. Comitia Consulum creandorum causa Dictator habuit, & anno insequente Pontifex Maximus ædem Concordiæ, Liuio teste, dedicauit: reliquum est, vt ad proxima omnino tempora inscriptionem hanc referamus; atque adeo Duiliana ipsa, quæ vetustatis nomine præ omnibus hodie celebratur (si tamen hæc verè illa est antiqua, & non alia potius interpolata, priorisque loco, vt fama est à posteris restituta) nihilo recentiorem esse fateamur. cùm Duilij victoria náualis, cuius honori columna illa rostrata posita est, in annum inciderit ab vrbe condita CDXCIII. quem annum qui excepit, is L. Scipionem Consulem vidit, & res ab eo in Corsica gestas, quæ hoc elogio commemorantur.

Lib. 9.

Iam æuo illi, hoc est prisco, & antiquo sæculo congruere obsoletam vocum literarumque formam,

mam,

mam ; quæ tota cernitur inſcriptione, quis neget? Quamquam vox quidem in ea nulla eſt, ſi Duonum excipias, quæ latina prorſus,& vſitata non ſit. *Duonum* autem pro bono ab antiquis dici ſolitum, auctor eſt Feſtus, apud quem etiam in Topper, *Duona ad naues portare* vetus ſcriptor ait, pro eo quod eſt *Bona portare*; & in Carmine Saliari *Duonus ceruſes*, vt grammatici exponunt, Bonus eſt creator. Hac igitur voce dempta, reliquæ omnes vulgo notæ ſunt, ſed à communi tamen vſu remotæ, vel orthographiæ diſſimilitudine, vel inepto, vt videtur, diſcrepantium caſuum nexu, & coniunctione, vel denique inuſitata duarum maxime literarum forma, & charactere. Ceterùm hæc omnia, vt oſtendam, non exoticam barbariem, ſed Romanam vetuſtatem illam redolent, quam dixi.

Atque vt hinc potiſſimum exordiar, Ⱶ iſtud vncinatum, & Ր ad ΠI Græcorum inſtar ſemiclauſum, in alijs etiam eiuſdem æui monimentis, nummis ſcilicet, tabuliſque æreis videre eſt; & à nobis ipſis vtriuſque olim exemplum in priuernatis lapidis fragmento, in quo AՐՐIOS CONSOL inſcriptus legebatur, animaduerſum meminimus. Rurſum quod O, pro V, paſſim exhibet in HONC, COSENTIONT, LVCIOM, & alijs, non opificis errore, vel inſcitia, ſed ex eo prorſus veterum more factum eſt,

quo

Lib. 1. cap. 4. quo hæc inuicem, Fabio teste, permutabant, vt *Hecoba*, *Notrix*, & *Dederont*, *probaueront*. Eodemque modo quia pro V, longa nunc OI, nunc OE vsurpabant; hinc est, quod OINO, pro VNO, scriptum est, & PLOIRVME, pro plurume; sicut in alia inscriptione Alatrina *coirauit*, pro *curauit*, & in Siliorom plebiscito apud Festum v. Publici. oitier pro vtier. At vero V contra, I loco scribere, vt PLOIRVME, OPTVMO, vsque adeo Romæ ab antiqua consuetudine inoleuerat, vt quod Optimus, Maximus mediam I literam, quæ veteribus V fuerat, acceperint, Caij primum Cæsaris inscriptione factum ferant. Ita quod E similiter, I quoque locum occupat in PLORIVME, FVET, DEDET, TEMPESTATEBVS, & MERETO, priscæ itidem vetustatis est indicium, vel Duilianæ columnæ argumento, in qua *exemet* pro exemit, & *Cepet*, pro Cepit, aliaque id genus visuntur: & inscriptionis eiusdem Alatrinæ, in qua hæc inter alia scripta sunt: OB HAS RES SENATVS FILIO STIPENDIA MERETA ESE IOVSIT. Quibus in verbis aliud præterea extat in ESE, & IOVSIT antiquæ scripturæ vestigium, quod in hac quoque nostra in FVISE, & in Duiliana inscriptione in CLASES impressum est; cum simplici S hæc omnia scribantur, quæ gemina solemus: quia Lib. 1. cap. 7. semiuocales, vt idem Fabius obseruat, non gemi-

nare diu fuit vetuſtiſſimi moris. Denique ſi cetera percurras, nihil eſt omnino, ſeu literarum formam ſpectes, ſeu variam illarum inter ſe permutationem, quod temere, aut caſu poſitum, & ab illo, quem dixi priſcæ antiquitatis fonte ductum non ſit. Reſtat ergo, vt de verborum nexu & iunctura dicamus, in quo vereor ne difficilius ſit perſuadere. Quis enim Romæ vmquam ita locutos putet, *Lucium Scipione, cepit Corſica, Dedet aide*? aut quis cetera fere omnia, quæ ad eum modum vix cohærent, latinæ linguæ legibus aduerſari, & ſolœciſmis ſcatere non cenſeat? Verum hic tu mihi, lector, pauliſper, vt ait ille, ſuſtine patientiam, & vide num quod vitio erroriq. imputas, tribuendum ſit potius vetuſtati. Quid enim? an contra grammaticæ leges ſcriptum dici poteſt, quod eius artis vſum, & leges omnes anteceſſit? Grammatica olim Romæ, vt Suetonius Tranquillus teſtatur, ne in vſu quidem erat; rudi ſcilicet, ac bellicoſa ciuitate, armis potius quàm liberalibus diſciplinis vacante. Primuſque, vt idem opinatur, eius artis ſtudium in vrbem intulit Crates Mallotes, Attali Reges legatus, inter ſecundum, & tertium bellum Punicum, hoc eſt annis poſt Scipionem Barbatum ſupra centum & viginti. Ad id tempus, grammaticæ regulis nondum conſtitutis, vna Romæ loquendi ſcribendique lex erat populi conſuetudo. Quæ quoniam continuo in motu

De Illuſtr. Grãmat.

motu varia erat, & ſubinde mutabatur; Ita Romanæ tum linguæ magnas fieri neceſſe fuit mutationes; mirum vt proinde non ſit, vel Saliorum carmina vix tandem Sacerdotibus ſuis ſatis intellecta fuiſſe, quod Fabius affirmat, vel Polibij ætate, vt ipſemet narrat libro tertio: ægre etiam ab antiquitatis peritiſſimis potuiſſe explicari verba fœderis, quod Romani primum cum Carthaginieſibus poſt exactos Reges pepigerant. Non ergo ſi quid eſt in iſta inſcriptione, quod aures noſtras accuratis Grammaticorum præceptionibus aſſuetas offendat, id tamquam à recte loquendi, ſcribendiq. legibus abhorrens illico damnandum eſt. Sed illius potius ætatis agnoſcenda conditio, quæ nullis adhuc erudita magiſtris cum ſcriptores nondum vllos haberet, quorum exempla ſectaretur, in primis quodammodo linguæ ſuæ cunabulis balbutiebat. Poſthæc enim ſecuta eſt artis diſciplina, elegantiſſimorumq. auctorum imitatio, quæ rudem linguam perpoliuit, breuiq. ad eam perfectionis dignitatem perduxit, quæ florente Republica viguit, ſtetitque, quamdiu Romana res ſtetit. tum exinde cum imperio ipſo ſenſim deflexit: & quod in ædificijs, ceteriſque rebus accidere ſolet, per eoſdem gradus, & incrementa quibus adoleuerat, reuocata, priſtinam rurſus ad infantiam, balbutiemque redacta eſt.

Atque hæc quidem ita diſſerui, quaſi in con-

feſſo

ſeſſo eſſet, latinitatis leges, neque in hac Inſcriptione ſeruatas, neque illo ſæculo eas fuiſſe, quæ poſtea fuerunt. Quid ſi contra nihil in ea eſſe contendamus, quod grammaticorum placitis repugnet, totamque iſtam, quæ admirationem parit, vitioſæ orationis ſpeciem, ab eadem ipſa, quam in ceteris oſtendimus, pronuntiandi, ſcribendique antiqua conſuetudine natam eſſe? Enimuero ſi rem propius intueare, animaduertes profecto, ea quæ in hoc genere reprehenduntur, omnia ferme vnius M literæ defectu in extremis aliquot vocibus laborare. Hanc autem vt exilis & obſcuri cum dictiones claudit ſoni, nec enunciari, nec ſcribi olim ſolitam, tum maxime, cum inſequentium dictionum à vocali erat initium; atque hoc more, quod Fabius itidem obſeruat, *die hanc*, non *diem*, ſcripſiſſe Cenſorium Catonem, quis neſcit? Fac igitur quod Catonis ætate tum fiebat, cum proximę dictiones à vocalibus inchoabantur, id L. Scipionis rudiore adhuc æuo fieri conſueſſe qualecumq. illarum eſſet initium: atque vbi M litera in eius elogio expreſſa non eſt, expreſſam puta, vt OINOM, DVONOROM, OPTVMOM, VIROM, legas, & L. SCIPIONEM, itemque CEPIT CORSICAM, ALERIAMQVE VRBEM, & DEDET AIDEM: iam ſalua, atque integra erunt omnia, nullæ paraptoſes, nulla vocum abſona connexio, nihil deni- Lib. 9. cap. 4.

denique quod Criticorum amuſſim cenſuramque reformidet.

Sed de inſcriptionis verbis totaque illorum cõpoſitione ſat multa. Nunc autem paucis quid illa rerum nos doceat (docet autem ſane permulta) conſideremus. Primum enim acceptum huic ferant neceſſe eſt Romanæ hiſtoriæ ſtudioſi, quod Scipioni Barbato Filium fuiſſe docet, cum Barbati Filium ij, qui Romanorum ſtemmata deſcribunt, nullum prodant. Nos vero huius admonitu L. Scipionem, non illum ſanè, qui anno CDLV. Conſul factus, in Hetruria, vt Liuius narrat, non in Corſica rem geſſit; ſed alterum anni CDXCIV. Conſulem, Barbato patre natum didicimus. Hic enim eſt, quem de Corſis, Sardiſque, & Pœnis proximo poſt anno triumphaſſe notant tabulæ Capitolinæ, cuiuſque in Corſica victoriæ in Epitome Liuiana, & apud Florum, Eutropium, Oroſium, & alios crebra eſt mentio. Ac nequis ambiguo locus eſſet, Aleriam quoque claram olim eius inſulæ vrbem, Sullana poſthæc, vt Plinius ſcribit, Colonia nobilitatam, à Scipione captam tum fuiſſe, Zonaras, vel Dio potius apud Zonaram teſtatur: etſi Valeriam pro Aleria vocat; ſed mendoſi Codicis vitium, vt hoc illi etiam inter cetera debeamus, corrigit Inſcriptio. Et quamquam diſſimulandum non eſt L. Scipionem hunc, qui de Corſis triumphum egit, Lucij Filium in faſtis appella-

Lib. 10.

Lib. 3. cap. 6.

pellari, Scipionem autem Barbatum à Liuio Publium dici non Lucium: nemo tamen eſt, qui non intelligat facilius fuiſſe, vt vel in tabulas Capitolinas, vel in Liuij Codicem error irreperet, quàm vt inſcriptionis huius, quæ L. Scipionem Barbati filium facit, in dubium vocari fides queat. Lib. 9.

Quale porro eſt, quod eadem L. Scipionis Cenſuram (vt de ædilitate nihil dicam) commemorans, ſimul nos quomodo reſtitui Capitolinæ tabulæ debeant, admonet, docetque C. Duillij anno CDXCV. in cenſura collegam Lucium hunc Scipionem fuiſſe, quem exeſæ tabulæ tribus tantum extremis literis deſignant? Scio aliter doctiſſimo viro, & Romanæ hiſtoriæ peritiſſimo viſum Onufrio Panuinio, qui Cn. Scipionem Aſinam ſuſpicatus eſt. At vero aſſentiri ne poſſim facit, partim quòd L. Scipionis cenſuræ, quam ab eo geſtam probat inſcriptio, locus in faſtis nullus erit, niſi hic concedatur; partim quod ſi Cn. Scipio Cenſor cum Duillio fuiſſet, vt placet Onufrio, prælatus illi haud dubiè in Faſtis eſſet, cum prior quoque in Conſulatu, quem biennio ante vna geſſit, nominetur. Lucius autem noſter cur Duillio in Cenſura poſtponatur, in promptu cauſſa eſt, quòd Conſul quoque poſt illum fuiſſet. Quare ſupplere ſine fuco ex inſcriptione noſtra licet, quod in tabulis Capitolinis eo loco deſideratur.

De Tempeſtatum autem æde quid dicam? ſiue

illa eſt ædes Tempeſtatis, quam P. Victor in prima vrbis regione, cui à porta Capena nomen, locat, ſiue alia vſpiam ab hac diuerſa, quod mihi ægrè perſuaſerim, quis niſi in hoc lapide legeretur, non eius ædis conditorem ignoraret? Cauſam quidem cur Tempeſtati data ſit ædes, exortam in mari Corſico tempeſtatem fuiſſe ſignificat Ouidius, nec obſcuri eius ſunt verſus è VI. Faſtorum,

Te quoque Tempeſtas, meritam delubra fatemur;
Cum penè eſt Corſis obruta claſſis aquis.

Sed quam multos hæc ipſa Corſicæ procellæ commemoratio, dum afflictæ claſſis ductorem, ædiſque auctorem quærunt, in errorem induxit? Nam fuere, qui ad Claudium Neronem anni D L I. Conſulem, cuius atrox, & naufragio proxima tempeſtas à Liuio deſcribitur, referendum cenſerent: alij rurſus Marcello, alij Metello, friuolis omnes ducti rationibus tribui maluerunt. Quibus nimirum ſi elogium hoc legere licuiſſet, numquã dubitaſſent, quin ex illius verbis petenda eſſet Ouidianorum verſuum interpretatio. Lib. 30.

Et tot igitur hiſce nominibus in lucem prodire tam illuſtre monimentum intererat, & ipſius in primis, cuius laudes exequitur, L. Scipionis, quem bonorum ætatis ſuæ virorum optimum in tenebris perpetuò iacere par profecto non erat: & tamen apud alios quidem ſcriptores hoc eius virtutis præconium fruſtra queras; ita de illo ſilent omnes,

nes, cum P. Naſicam ex eadem gente centum ferè poſt annis optimum virum Senatus ſententia indicatum, dignumque, qui Magnæ Matris ſimulacrum exciperet, habitum, plurimi literis prodiderint; & in Atilij Calatini ſepulcro non diſſimile inciſum elogium Cicero ipſe in Catone non ſileat, *Quem plurimæ conſentiunt gentes populi primarium fuiſſe virum*. Cuius ego Atiliani elogij quoties reminiſcor, toties in mentem venit ad L. quoque Scipionis ſepulcrum pertinuiſſe Inſcriptionem, in qua verſamur: vt duorum clariſſimorum Ciuium, ætate, honoribus, rebus geſtis prope æqualium coniuncta fuerint, vt loco, ſic etiam tituli gloria, & ſimilitudine monimenta. Etenim extra portam Capenam & Calatini, & Scipionum ſepulcra fuiſſe, vel ex eodem M. Tullio notum eſt: ad Capenam autem effoſſum hunc lapidem fuiſſe, præfati initio ſumus. Nec verò laborandum cenſeo, quoniam intra vrbis mœnia eſt effoſſus, ſepeliri autem intra mœnia mos non erat, eò ne aliquando translatus è ſepulcro, an ſepulcrum ibi olim conditum, & mœnia poſt id tempus cum Pomærij finibus translata ſint. Quoquo enim modo res habeat, ſuus nimirum honos, & pretium erit Inſcriptioni; tibique, vt confido, lector, iam ſatis perſuaſum, non abs re illam à nobis principio laudatam, dignamque quam

Tuſc. 5.

merito magni omnes faciant visam esse, quæ præter vetustatis commendationem, tanti Viri memoriam prope intermortuam excitarit, & iucundam simul non vulgarium, & hactenus ignotarum rerum notitiam complectatur.

EX FASTIS CAPITOLINIS

Fragmentum eorum, qui in explanatione citata sunt.

:::::::: SCIPIO BARBATVS DICT. com. Hab. C. V. C. CDXLVII.
P. DECIVS P.F.Q.N. :::: MVS Mag. Eq.

ÇN. CORNELIVS L. F. CN. N. SCIPIO (ASINA CDXCIII.
C. DVILIVS M.F. M.N.
C. DVILIVS M. F. M. N. COS. PRIMVS NAVALEM DE SICVL. ET CLASSE POENICA EGIT AN. CDXCIII. K. INTERKAL.

L. CORNELIVS L. F. CN. N. SCIPIO CDXCIV.
C. AQVILIVS M. F. C.N. FLORVS
L. CORNELIVS L. F. CN. N. SCIPIO COS. AN. CDXCIV. V. ID. MART. DE POENIS ET. SARDIN. CORSICA.

A. ATILIVS A. F. C. N. CALATINVS. CDXCV.
C. SVLPITIVS Q. F. Q. N. PATERCVLVS
CENS. C. DVILIVS M. F. M. N.
L. F. XXXVI.
L. CORNELIVS L. F. CN. N. SCIPIO

ZONARAS

Tom. II.

ΛΟύκιος δὲ Σκιπίων ὁ συνάρχων αὐτοῦ ἐπὶ Σαρδὼ καὶ ἐπὶ Κύρνον ἐστράτευσε. κεῖνται δὲ ἐν τῷ τυρσηνικῷ πελάγει ὀλίγον ἀλλήλων ἀπέχουσαι, ὡς μίαν αὐτὰς πόρρωθεν εἶναι δοκεῖν. καὶ πρότερα τῇ Κύρνῳ προσβαλὼν τὴν μὲν ΟΥΑΛΕΡΙΑΝ τὴν κρατίστην αὐτῆς πόλιν βίᾳ εἷλεν, ἀπόνως δὲ τὰ λοιπὰ ἐχειρώσατο. Ἐς δὲ τὴν Σαρδὼ πλέων ἐν.

L. Scipio, Flori collega exercitum in Sardiniam, & Corsicam duxit, Insulas in Thyrreno mari sitas, tam exiguo interuallo separatas, vt ex longinquo pro vna habeantur. Ac primum Corsicæ Principe Vrbe Valeria vi capta, reliquis citra laborem est potitus. In Sardiniam nauigaturus, &c.

HIER.

HIERON. ALEANDRI ADDITAMENTVM.

VERISSIMVM esse arbitror, quod innuit doctissimus Sirmondus, omissam M literam in fine vocum, quæ in L. Scipionis elogio negotium facessere videbantur, potius quàm vt casuum commutationem admittamus. Nam si quis existimet, in dictionibus OINO, OPTVMO, VIRO, SCIPIONE, CORSICA, ALERIA, VRBE, AIDE sextum casum pro quarto positum, voce DVONORO quid faciet? hìc profectò alius esse casus suppositus nequit, sed laborat tantùm hoc nomen defectu M literæ. Caussam dedit eiusmodi scriptioni vsitata eius sæculi enunciatio. Siquidem literam illam & intra os mugire, & obscurum sonare, cùm veteres grammatici asserunt, tùm edocet vsus ipse: at eadem, quùm verba clauderet prisco illo æuo, intra labra penitus emoriebatur. Ideo

 Græ-

Græci euanidam cognoſcentes nullam dictionem ea terminarunt. Eius quoque rei argumentum eſt, quòd Poetæ terminantem elidere vocalem ſoliti; quùm ab inſequente vocali excipitur, etiam ſi M litera intercedat in verbi extremitate poſita, eius tamen nullam habent rationem; vt nihilominus fiat vocalis eliſio, ac ſi litera M penitus abeſſet. quia nimirum non efferebatur. Cæcilius Vindex apud Caſſiodorum: *M literam ad vocales primo loco in verbis poſitas ſi acceſſerit, non enuntiabimus*. Sed nec quùm ſubſequens vox à conſonanti ordiretur, enuntiatam fuiſſe autumo priſco illo, atque adeo rudiore ſæculo: itaque nec ſcribebant. erat enim compluribus religio ſcriptionem aliam facere ab enuntiatione. quin apud conſequẽtes ætates, quùm vſus obtinuiſſet, vt M litera in ſcriptione retenta ſaltem ſono N enuntiaretur conſonantem præcedens (quod innuit Cæcilius Vindex) fuere, qui cenſerent, haud integram eſſe ſcribendam ante inſequentem vocalem. Velius Longus lib. de Orthographia: *Nonnulli ſynalœphas quoque obſeruandas circa talem ſcriptionem exiſtimauerunt, ſicut Verrius Flaccus, vt vbicumque prima vox M litera finiretur, ſequens à vocali inciperet, M non tota, ſed pars illius prior tantum ſcriberetur; vt appareat exprimi non debere*. Aluére ſemper eam controuerſiam tàm vetera, quàm noſtri ſæculi idiomata, vt videretur quibuſdam, ita ſcriben-

dum

dum esse, quemadmodum loquimur: assererent alij, nequaquam enuntiatu metiendam scriptionem. Simplicitatis amatores (quales fuisse credo magnos illos Scipiones, ad res, quàm ad verba attentiores) pati nequibant onerari scriptionem ijs literis, quæ à sono abessent enunciationis ante leges grammaticas. Iure igitur Fuluius Vrsinus in veteri Kalendario Rustico FABA pro FABAM, OLIVA pro OLIVAM quùm repeřisset, non erratum fabrile, sed scribendi consuetudinem agnouit. Cur igitur (inquies) in dictione LVCIOM ab ea consuetudine recessum? Dicam ingenue, quod sentio. Neutiquam fuisse perpetuum arbitror eius scriptionis vsum. alioqui cur non & in Duiliano elogio conspicimus? dices interpolatam eam inscriptionem: non equidem negare ausim, id enim præter cetera arguit & marmor peregrinum à Romana frugalitate nondum receptum & elegantior characterum expressio. at quemadmodum antiquam scribendi rationem immutarunt aliqua in parte interpolatores, vt scitè obseruauit Petr. Ciacconius, ita quin vestigium aliquod eius rei, qua de agimus, reliquissent, mihi quidem non fit verisimile. Sed quùm in antiquo marmore, quod non extat, Senatus & populi iussu incisum fuit id elogium, diligentior adhibita cura est, vt vitium enunciationis recta suppleret scriptio, quam docere ipsa ratio poterat, si non grammati-

corum libri, qui nulli apud latinos eo tempore erant. Insuper ad vitandam κακοίτιαν credendi sunt eam literam enunciare quandoque consueuisse. igitur & scribere: atqui si LVCIO SCIPIONE exaratum fuisset, dubitari poterat, ne quis enunciaret LVCIOS, antequam animaduerteret quartum esse casum; nam litera O tàm in primo, quàm in quarto casu efferebatur breui enunciatu, hoc est vnico tantùm tempore, & ore (vt arbitror) non admodum lato; respondebat enim breui ο Græcorum: at quam tertius casus, & sextus recipiebant, ea longa erat, sonabatque quod ω apud Græcos: neque enim de duplici hoc sono incertos esse nos sinunt Marius Victorinus alijque veteres grammatici. Itaque voci LVCIO in dandi casu, aut auferendi enunciatæ dubitari non poterat ne cohæreret sequens litera S. secus in casibus, qui eundem prolationis sonum habebant. Siquidem connectebant voces, dum loquebantur; quod indicat Cicero in epistola (ni fallor) ad Pætum, innuens abstinendum ab ea scriptione *cum nos*, ne pulsaret aures obscœna dictio. quoniam literæ M in fine locatæ, sonum N dabant post antiquiora illa tempora, vt ex Vindice supra docuimus; quod etiam ex Velio Longo, alijsque palàm est. Verùm prolixius hæc, & subtilius fortasse, quàm par erat. verius enim videtur, quod priore loco dixi, perpetuum non fuisse eius scriptionis vsum. Ceterùm

nolim hic omittere antiquam inſcriptionem Senenſem, quam adducit Celſus Cittadinus in libro de origine vulgaris linguæ Italicæ.

VICTORIA
QVESCET
ANNORO. XXV.

Exaratum hic ANNORO pro ANNORVM, & QVESCET pro QVIESCIT. verùm hæc inſcriptio recentioris fortè ſæculi eſt. nam *quieſcere* de mortuis vſurpatum videtur ex Chriſtiana formula, ac profectò (vt ſunt rerum vices) repetitum hic cernimus antiquiſſimum enuntiandi, ſcribendique morem, cuius gratia retulimus hoc epigramma.

Moleſtiam exhibet quibuſdam vox LVCIOM integris literis ſcripta, non ſingulari L. contra morem. at non vtique contra primæ illius ætatis morem. quòd ſi illorum temporum ſupereſſent monumenta, quin id genus ſuppeterent exempla, nullus dubito. ac tunc præſertim videtur is mos vſurpatus, quùm quis deſignandus eſſet, qui præcipuam ex ipſo prænomine notionem haberet. quod de Lucio noſtro inficiari nemo poteſt: id etiam indicat Ap. Claudij inſcriptio à Sirmondo laudata APPIOS CONSOL, & quæ nuper eruta in Colle hortulorum cubitalibus literis OCTAVIAI. M. F. APPI, aliæque huiuſmodi.

Alijs etiam præter morem videtur, quòd Lu-

cius noſter Barbati filius dicatur non P. aut L. verùm & hoc antiquitatem illam nondum expolitam redolet. nam quùm plures Lucij, pluresvè Publij in Corneliorum gente eſſent, maluit qui Epigramma conſcripſit, Barbatum nominare, qui fortaſſe vnicus in eâ familia, eoque cognomine conſpicuus. Notum eſt, habuiſſe Romanos prænomen, nomen, cognomen, aut cognomina plura. niſi quis alterum cognomen appellet agnomen, quod eſſe quibuſdam in vſu video. Et tot appellationibus vna præcipuè vſurpabatur ab ipſis cunabulis, vel à die luſtrico, ſiue à ſumpta virili toga (ſunt enim, qui aſſerant, eo primum tempore prænomina pueris indi conſueuiſſe) eaque adeo inhærebant, vt qui cognomines eſſent, eiuſdemque familiæ, hac potiſſimum ratione inter ſe diſcernerentur. Eratque id velut proprium cuique nomen. quod monuit me vir vndequaque doctiſſimus Anton. Quærengus. Exemplorum loco hæc ſint. *T. Flauius Veſpaſianus* tàm pater dictus eſt, quàm filius, Imperatores ambo. at pater cognomento notior, prænomine filius. Claudius verò Imp. nomenclaturam gentis ex illo vſu adeo fecit propriam, vt penè à quotidiana hominum memoria fugerit, Tiberium prænomine, Druſum, Germanicumque cognomine fuiſſe appellatum. Sic Imp. Caligula ex prænomine Caij præcipuè notus. vt Circum etiam ab eo Caianum di-

ctum,

ctum, scribat Dio. Hinc via Appia, Aqua Appia, forum Appij ab Ap. Claudij prænomine. Id caussæ fuit, cur nomina quorundam, & cognomina oblivioni traderentur. ac sanè plurimam à me gratiam inierit, qui Caij Iurisconsulti aut nomen indicauerit, aut cognomen. Igitur Scipio noster Barbati filius nuncupatur, quòd pater eo cognomento illustris esset, vt ipse Lucij prænomine. Quod si ad hunc vsum respexisset Casaubonus, haudquaquam suspecta illi de mendo fuisset proba lectio in Flauio Vopisco, quùm ita scribit initio vitæ Probi: *P. Scipionem Africanum, imo Scipiones omnes seu Lucios, seu Nasicas, non ne tenebræ possiderent, ac tegerent, nisi commendatores eorum historici nobiles, atque ignobiles extitissent?* neque enim Vopiscus vocem *Lucios* tamquam cognomen accepit, sed rectè loquutus est, dum claros viros in Scipionum familia appellat, quosdam ex prænomine Lucij notiores, alios ex cognomento Nasicæ.

Quòd Tempestates hoc in Elogio nominentur, parùm congruere cum Ouidianis versibus nonnulli censent, in quibus *Tempestas* singulari numero posita est. nec Poeticæ libertati adscribendum; quando tàm à Sex. Rufo, quàm à P. Victore *ædes Tempestatis* non *Tempestatum* in prima Vrbis regione statuitur. Verùm etsi nulli essent prò nostra inscriptione adstipulatores, eius

apud

apud me auctoritas maius haberet pondus, quàm Ouidij, quàm Rufi, Victorisque testimonium. Nunc verò totidem stant à nobis testes. nam & apud Virgilium legimus V. Aen.

Tres Eryci vitulos, & Tempestatibus agnam
Cadere deinde iubet.

& apud Horatium lib. Epod.

Libidinosus immolabitur caper,
Et agna Tempestatibus.

& quòd magis est, ne quis Poeticam dictionem suspectā habeat, Tull. li. 3. de Nat. Deor. ita scribit: *Quòd si nubes retuleris in Deos, referendæ certè erunt Tempestates, quæ Pop. Romani ritibus consecratæ sunt.* vt propemodum videatur fatendum, recentiori sæculo *Tempestatem* singulari numero dici cœptam, quæ *Tempestates* vetustiore dicebantur.

Sunt postremò, quibus mirum videtur, Triumphi, quem L. Scipio egit, nullam hìc fieri mentionem. Vir sanè perspicacissimus, ac literatorum non minus quàm literarum amans Nicolaus Fabritius Perescħi dominus desiderari meritò suspicatur alteram L. Scipionis inscriptionem huic nostræ geminam. grandi enim mole sepulcra apud veteres exædificabantur. neque existimare absurdum est, ab vno quidem latere hoc Elogiū, ab alio marmor itidem fuisse aliud, in quo Triumphus memoraretur, ætasque, & dies obitus, aliaque huiusmodi; modò sepulcri, non potius statuæ inscriptio

scriptio

ſcriptio hæc fuerit. Quòd ſi diuinationem quis ægrè admittat, probitati Scipionum (quorum in familia præ cæteris dotibus illa ſemper enituit) tribuere id poterit; qui in Lucij Epitaphio ea tangere ſat habuerunt, quæ ad optimum Ciuem ſpectarent. Triumphus extrinſecus (vt ſic dicam) proueniebat, atque à Senatus arbitrio, quæ verò ab eo geſta ſunt ipſius virtuti adſcribenda. Conſulatus, Cenſura, Aedilitas oneris non minus quam honoris afferebant. Porrò probitatis L. Scipionis, quem bonorum optimum fuiſſe lapis inſinuat, non leue eſt exemplum apud Valerium Maximum lib. v. cap. I. de Hannonis cadauere magnificè elato, eiusque exequijs celebratis.

Hæc addenda putaui Commentario P. Sirmondi, vt quorundam ſcrupoloſitati facerem ſatis, quùm alioqui ſciam, aſſuiſſe me, quod aiunt, pannum purpuræ. Cæterùm qui marmor hoc tam inſigne poſſidet, ac non auro contra æſtimandum, Franciſcus Auguſtinus copiam cuilibet facit ſpectare cupienti. nec cuiquam ſanè eius erit ſuſpecta antiquitas, dùm de rebus huiuſmodi iudicium ferre queat.

FINIS.

MC